Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2949
Quelle:
Copyright:

Terra meritis, corpore
Triumphat felix patauia.

Eandem *Sequentiam*, uti et *Benedictionem Uvae* Missalia Pataviensia Seculi XVI. initio pluries per *Johannem Winterburger* f. et 4. *Vindobonae* impressa retinent. Recensui ea in *Wiens Buchdruckergeschicht* 1782. 4. ibid. edita.

DCCCXVI.

22 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 328. f. max. nitide scriptus et coloribus illustratus est *Liber Missalis* in usum Monasterii cujusdam Dioecesis, ut videtur, Salzburgensis exaratus; Fol. enim 126. p. 2. in Officio Sabbati S. rubrica sic habet: *igitur procedant de choro cum silencio faciente stacione ex utraque parte* monasterij *in medio vero* monasterio *aptetur locus et ornetur tapetis et purpura* &c. Quod vero Dioecesin adtinet, tam in *Calendario* Codici praefixo et solito pauciora SS. nomina continente festa *Rudberti* et *Virgilii* literis miniatis consignata sunt, quam in *Proprio Missarum de Sanctis fol.* 278. extant peculiares de iis Missae. Sequentia de S. *Rudberto* sic incipit:

Gloriosa fulget dies
Exultet Ecclesia
Angelis hominibus
Pax et leticia &c.

Missae, ut alias, incipiunt a *Dominica prima Adventus*. Post Festum Corporis Christi interjiciuntur Missae *in Dedicacione Ecclesie* et *in dedicacione altaris*, *Laus angelica* sive Gloria in excelsis, eaque iterum ad B. Virginem accommodata hoc rubro: *De beata uirgine sancta Maria.* tum *Symbulum* Apostolorum, *Prefationes* per annum, mox *Canon*, ante quem depicta cernitur imago Servatoris tribus solum clavis cruci adfixi, et in quo Papae, Episcopi et Regis fit mentio. His absolutis resumuntur Missae de tempore *a Dominica prima post octauam penthecostes*. *Missae de SS.* incipiunt a *Fol.* 229. habentque *Sequentias* nunc ut plurimum exoletas, *Missae de Communi SS.* a *Fol.* 289. *pag.* 2. *Missae priuatis diebus* a *Fol.* 310. Sunt vero hae pro Dominica *de sancta trinitate*, pro fer. II. *de sapientia eterna*, pro fer. III. *de sancto spiritu*, pro fer. IV. *de angelis*, pro fer. V. *de caritate*, pro fer. VI. *de s. cruce*, pro sabbato *de beata virgine*. Officium *Defunctorum*, Missae quaedam *speciales* v. g. *pro peccatis, pro iter agentibus* &c. et Orationes: *pro diuersis necessitatibus* codicem terminant. Has inter Oratio: *Deus regnorum omnium et christiani maxime protector*